



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni  
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones  
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis  
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

**Henricus, de Sancto Ignatio**

**Leodii, 1709**

Caput 236. Sacerdotum, sive sæcularium, sive regularium, approbationes  
Episcopi certis limitibus circumscribere possunt, & ad certas personas,  
loca, vel tempora coarctare, si non adeò idonei reperti ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

nimis à Leone X. Bullâ 41. ut videre est apud Feyrinis t. 1. Privileg. Minim. in Conflit. 1. Julii 2. 9. 15. n. 12. Nec privilegiis istis derogavit Tridentinum sess. 24. c. 11.; imò ea firmavit, etiam quoad exemptionem ab Ordinario, respectivè ad saculares Monasterii servientes, qui intra eorum septa resident, subque eorum obedientia (servili) vivunt, ut rectè observavit Donatus Laynenis rer. Regular. to. 3. tr. 4. q. 7. n. 1. post Joannem Crucium de statu Relig. l. 2. c. 6. dub. 1. *Non enim* (inquit) *Tridentini textus potest intelligi de obedientia religiosa: quia servitores saculares, cum professionem religiosam minimè fecerint, non possunt obligari ad obedientiam religiosam, sed ad servilem, id est ad exequenda servitia & obsequia sibi impoſita.*

## CAPUT CCXXXV.

*Ne venialium quidem confessiones à secularibus factas, audire licet Sacerdoti, sive seculari, sive regulari, ab Episcopo non approbato.*

2725 **I**Ta Cajetanus opuse. to. 1. tr. 17. de confession. q. 2. Navarrus in Manuali c. 21. Donatus Laynenis rer. Regular. to. 3. tr. 4. q. 4. Et ratio est, vel quia Tridentinum sess. 23. c. 15. de reform. generaliter requirendo approbationem ad confessiones secularium audiendas, etiam venialium confessiones Confessariis approbatis reservavit, ut aliquibus videtur. Vel si de venialium confessionibus non loquatur, idè quod quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, vi suæ Ordinationis, à venialibus absolvere possit, eò quod Ecclesia nunquam ea reservaverit (uti communiter est opinio, idem censens de mortalibus legitime confessis & remissis) quia tamen id non est usquequaque certum, & opposita sententia suâ non caret probabilitate: partim ob istius opinionis incertitudinem: partim quia frequenter mortalia sunt, vel dubium an talia non sint, quæ putantur venialia: partim denique ad evitandum fraudes exinde oriundas (neque enim in foro externo coerceri, nec convinci possent, qui, mortalibus auditis, contenderent se venialia dumtaxat audivisse.) Idèd S. Congregatio Concilii Tridentini 12. Febr. 1679. approbante Innocentio XI. Episcopis, Parochis, & Confessariis injunxit, *ut non permittant ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi & Confessarii, etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo opt. max. rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum, justam & rigorosam animadversionem in contrasacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis, per hoc Decretum, per Sedem Apostolicam specialiter attributa. Et factâ... de verbo ad verbum relatione, Sanctitas sua probavit, ac præsens Decretum typis mandari ac publicari voluit.*

## CAPUT CCXXXVI.

*Sacerdotum, sive secularium, sive regularium, approbationes Episcopi certis limitibus circumscribere possunt, & ad certas personas, loca, vel tempora coarctare, si non adeo idonei reperiri fuerint.*

2726 **I**Ta declaravit Clemens X. in Bulla superni magni Patris-familias, his verbis: *illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter fuerint, ab Episcopis generaliter quoque & indistinctè, absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum, in Diocesi propria admittendos. Quoad ceteros vero, qui non adeo idonei reperiantur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquere, ipsos cum limi-*

*tata facultate, prout eidem Ordinariis magis expedire videbitur, probare & admittere. Idem dem penè verbis antè declaraverat S. Congregatio Concilii 2. Julii 1687.*

Et idèd Alexander VII. hanc propositionem, *non possunt Episcopi limitare seu restringere approbationes, quas Regularibus concedunt, ad confessiones audiendas, neque ullæ ex parte revocare, anno 1659. in causa Andegavensis damnavit ut falsam, temerariam, scandalosam, & erroneam.*

Et S. Carolus in Instruct. Confess. Sacerdotes (inquit) *qui à nobis licentiam confessiones audiendi, sed non nisi ad certum tempus, aut locum, aut quajdam personas, limitatam obtinuerunt, caveant ne facultatis formam & limites excedant.*

## CAPUT CCXXXVII.

*Clausula in approbationibus Episcoporum Belgis apponi solita, quæ Regularibus facultatem confessiones audiendi concedunt, de consensu eorum, quorum interest, utique Parochorum, censenda non est taxativa, seu limitativa, sed modalis: ut ut non designet conditionem sine qua non; sed modum convenienter utendi dictâ facultate, ad evitandas dissensiones, & rixas, inter Confessarios Regulares & Parochos.*

**P**robatur, quia cum Episcopi Belgis erga Sedem Apostolicam observantissimi sint, præsumendi non sunt per illam clausulam, velle aliquid contrarium Apostolicis Constitutionibus, & Privilegiis, quibus concessum est Confessariis Regularibus ubique confessiones audire, sine consensu Parochorum. Igitur præsumendi non sunt per clausulam illam requirere consensum Parochorum tamquam conditionem sine qua validè confessiones audire nequeant in Parochiis, vel Ecclesiis ipsorum, sed tamquam modum pacificè & convenienter utendi facultate sibi concessâ. Convenit enim in eo deferre Parochis honorem. Convenit, privilegiatos privilegii sui uti suaviter & pacificè, reddendo cui honorem, honorem. Convenit Parochorum Coadjutores bonam cum Parochis habere intelligentiam, maximamque concordiam, ad promovendam animarum salutem, & fidelium ædificationem, omnemque contentionis occasionem præcindere. Hoc est quod Gerſon sapienter monet lib. de statibus Ecclesiasticis. De statu namque Curatorum, consideratione 15. status (inquit) *Curatorum debet cum bona gratia suscipere statum privilegiatorum, tamquam Coadjutores missos, habentes à Superioribus licentiam prædicandi, & confessiones audiendi, si non appareat rationalis causa aliquem talem repellendi, usque si detraitor, si collusor, si corruptor, si quasiſus, si seductor appareat; aut parochianorum multi inde venient in contemptum Curatorum. Aut si Curatus, per seipsum, id agere circa parochianos suos quod agendum sit, satis poterit. Quia videretur præsumendum, nisi legitima foret exceptio contra eum.*

Deinde de statu privilegiatorum, considerat. 11. sic ait: *status privilegiatorum debet cum bona charitate licentiâ suâ uti, non ad quæſum, non ad emulationem, non ad ambitionem, non denique in præjudicium temporale vel spirituale Curatorum, sed instando, clam & paciam, apud parochianos, quatenus honorem debitum ac sustentationem suis reddant Curatis. Alioquin factum, quod sibi fieri nollent. Meritoque repelluntur hi, de quibus aliter constiterit, & excommunicationem à Cænone nonnunquam incurrunt.*

Et de utroque statu, considerat. 11. status uter-  
que studeat alter alterius onera portare, sine an-